medicus suis quos restituit ægrotis, cibum tam
gratum ac dulcem, ut nec delicatissima quidem
Epicuri gula nil gustarit longè dulcius tam
delicatum sapidumque ut nec Cleopatræ forsan
cœnæ, quicquam præstantius senserint, nec Vitelli
symposia melius olfecerint unquam; apponit,
anteriores nempe pedes suos, qui ob tantam
bonitatem ab imperatoribus, ac principibus non
minori studio exoptantur, quam olim Hypocras ab
Artaxerxe Rege Persarum in aulam adscitus fuerat,
deliciasque inter regales honorarius cibus haberi
solent. quid igitur existimatis Aud. si non tantum
pedes, sed totus Ursus nisi eum aulicorum mores,
et urbana ad vitium vivendi ratio offenderent,
in oculis Regum pretiosius esset, quam sanos ac
vegetos Principes, quam canos intueri, quam
senes venerari liceret. Sed medico, et medicina
Ursi satis, hoc solum dico, ne vobis deinceps
mirum, vel novum videatur, Ursum et medicum peri-
tissimum, quia medetur: et doctorem medicinæ, quia
artis scientiam summa cum laude profitetur, omnium
medicorum calculo approbari, dici haberique maximum.
Age verò nunc paulò eius insignem docilitatem,
ac pietatem multiplicem considerate. Docilis est